



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

VI. De Regula & Constitutione, quam in Societate habemus, de fratrum nostrorum defectibus immediate ipsi superiori aperiendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

rator Theodosius, S. Ambrosii correptionem monitionemque æquo animo summaque humilitate excipiens: tam, cum eum factis, ob iniquam & atrocem in innoxios Thessalonicenses exterminii latam sententiam, interdixit, & Ecclesia exclusit, quam cum ei, oblato ad altare donario suo, intra sacrarium & aditum manere volenti, nuntio misso, significauit, vt inde ad commune & laicorum templum transfret; quod locus prior solis esset sacerdotibus ac presbyteris deputatus, & purpura Imperatores faceret, non sacerdotes: vt pluribus in Ecclesiastica historia refertur, quo loco, non sine ratione, disquirendum proponitur, magisne laudanda sit sancti præfulis constantia & fortitudo, quam admirabilis religiosissimi principis obedientia & humilitas.

Histor. 1. tripart. p. 2. l. 7. c. 6. & historia Ecclesiast.

In vita eius Paulinus.

Quin etiam hic ipse Ambrosius, vt in eius vita refertur, si quando ab aliis defectuum commonefiebat, magnas eis gratias agebat, singularique se beneficio affici credebat.

Monachus quidam Claraualensis, vt in Cisterciensis instituti Annalibus refertur, quoties corripiebat vel reprehendebatur, ad minimum Orationem Dominicam, pro sui monitore, in gratiarum actionem recitabat. Atque exinde sanctam hanc consuetudinem illo in monasterio inoleuisse, & legis cuiusdam inuiolabilis vim obtinuisse eo in libro scribitur. Abbas Arsenius, vt apud Simeonem Metaphrasten legitur, qui inter omnes suæ ætatis monachos sanctimonie fama & nomine notissimus erat, & in seculo vir primarius & illustris fuerat, vt pote Theodosij senioris Imperatoris filiorum, Arcadii videlicet & Honorii (qui patri deinde in Imperio successere) præceptor aliquot nihilominus defectus, et si leues, habebat, qui sanctitati illius nequidquam derogabant. Nam, quoniam in seculo vir inclutus fuerat, & delicatiori vitæ generi affuetus, aliqua ei iam cum conuerso libertatis illius Palatinæ & Aulicæ, in qua hæctenus egerat, reliquæ

adhæresere: hinc fiebat, vt dum cõ aliis fratribus sedebat, sæpe pedem vnũ alteri superimponeret. Qui pedum situs, vt potest parum decorus & modestiæ non conueniens sanctis illis Patribus, non parũ displicebat. Omnes quidem eum rei huius commonitum volebãt: at nemo ei audebat proponere. Graue namque & perdifficile ipsis videbatur, rei tam paruæ ac fiuolæ Patrẽ tam grauem ac venerabile notare. Quocirca quid opus factõ sit, inter se deliberant: ac tum Abbas (pastor, qui magna vir erat prudentia & sanctitate, commodũ quoddam, cui mox Patres reliqui assensũ sunt, cõsiliũ suggestit. Proxima, inquit, vice cum omnes conuenimus, eodem ego situ pedes meos collocauo, vobis verõ eius me rei admonentibus quã primum dimittãt: Vnde ille se in hoc reprehendi arbitratus, etiã mox dimittet suos. Placuit omnibus bonũ pii senis cõsiliũ: quare, cum proxime ad spũtualẽ suam collationem Patres congregati essent, eo Abbas pastor pedes suos posuit modo, quo suos posuerat Arsenius. Patres ergo, hoc viso, eum ob indecorum hunc situm & malum omnibus datũ exemplum acriter coarguunt, ipse vero, ilico se ad modestiam composuit. Arsenius, audito visloque, quid in vicino fieret, velut aliud agens, suũ sensim pedẽ dimisit. Tam benigne autẽ teste historia, correptionem hanc accepit, vt numquã exinde amplius eo pedes modo composuerit. Sic quisque reprehensionem & correptionem, quæ in genere & aliis fit, velut sibi vni factã existimet. Simul etiam hinc liquebit ea, quã in alio corrigendo monendoque sitam esse diximus, difficultas.

CAPVT VI.

De Regula & Constitutione, quam in Societate habemus, de fratrum nostrorum defectibus immediate ipsi Superiori aperendis.

Nonã summarij Constitutionũ Regula hac de re sic loquitur: Ad maiorem in

Cap. 4. Ex am. 8. Regul. 9. summarij.

rem in spiritu profectum, & præcipue ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quæcumque, quæ notata in eo & obseruata fuerint, superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.

In eorum quæ dicturi sumus, fundamentum norint oportet omnes, quod, esto omnes ad vnam Constitutiones nostræ à summis fiat Pontificibus approbatæ & confirmatæ, & illarum initio præfixa sit clausula motus proprii Gregorii XIII. quo eædem approbantur; hæc tamen de fraternæ correctione Regula & constitutio, speciatim est ab eodem Pontifice, & in iudicio contradictorio (quod est peculiaris quædam qualitas) approbata. Cum enim sacerdos quidam, qui olim de Societate fuerat, sed, ob inquietum & turbulentum ingenium, ab eadē dimissus erat, quamdam Summæ Cardinalis Toleri partē Romæ prælo subiecisset, & supposititium ei de suo caput addidisset, in quo quandam esse aiebat Religionem, erga quam ipse afficeretur (quod viros ea doctos aleret) quæ Regulam haberet, directe Evangelicæ doctrinæ repugnantē, iubentem videlicet, ut visi notatique in aliquo defectus, non monito ante eo, immediate ad Superiorem deferrentur: è quo plurima sequi posse aiebat incommoda: R. P. Euerardus Mercurianus, qui tum Generalē Societatis præpositū agebat, summum Pontificē adiit, & super hac iniuria expostulauit. Hic ergo tam librum hunc, quam Regulam nostram videre voluit, & quæ Societatis, quoad hoc esset praxis, accurate inquisiuit. Quo cognito palam declarauit, Regulam hanc non modo Evangelio non aduersari, verum etiam cuius aperte patere nulli penitus calumniæ eam obnoxiam esse, quin imo Evangelicam & Apostolicam quædam ea perfectionem contineri simul edixit, ut spurium hoc libri assumentum, & partus supposititius prosciberetur: uti cum reipla Cardinalis Sirletus, cuius eæ ex officio partes erant, proscrisit ac damnauit.

Satis quidem per hoc testimoniū hæc Regula iustificata & propugnata videatur; verumtamen, ad maiorem satisfactionem & consolationem nostram, duo potissimum hoc loco, disputationibus & argumentis scholasticis, ad scholas amandatis, tractabimus: Primo, Regulæ huius momentum & necessitatem declarabimus: secundo, rationes aliquot producemus, è quibus clareat, quam ea sit rationi consentanea. Quod ad primum attinet, sanè Regulæ huius momentum, & necessitas satis ex alia quadam magni etiam momenti Regula, qua conscientia status Superiori patefieri iubetur, de quo tractatu superiori locuti sumus, perspicitur: omnes quippe rationes & conuenientiæ, quas B. P. N. in Constitutionibus adducit, ad ostendendum, suam vnumquemque Superiori conscientiam reticere debere, etiam in hac Regula militant, eiusque momentum & necessitatem ad oculos ostendunt. Eas quidem illo loco ad longum deduximus: sed ad duo omnes reduci capita possunt. Primum est, ut suum Superiori subditū melius gubernare, dirigere ac curare queat. Alterum, ut quæ ad vniuersale Societatis corpus conueniunt ac necessaria sunt, hoc pacto melius provideat & statuat. Ergo propter has ipsas rationes, permagni interesse B. P. N. existimauit, ut de defectibus & erratis tuis, per quemcumque, dummodo extra confessionem is ea norit, Superior certior reddatur. Quendam autem hæc in re habere voluit veluti fideiussores ac vicarium, si forte tu, ea quæ necessario facere teneris, queque partim ad tui vnus priuatum, partim ad vniuersale Societatis totius bonum tantopere faciunt, ex incuria facere negligas. Vnde quod late ex instituti tui præscripto facere debebas & teneris, id præstat hic frater tuus. Cuncta vero ad maius cum tuum, tum totius Religionis bonum spectant, utque nostris in ministeriis maiori cum securitate procedamus, Superiores vero neminem naufragii periculo exponant.

K k 2

Quod

Tract. 7.
c. 1.

Matt. 8. 15.

Refert id
P. Egidius
Gonsaluis
in suis
serm. spirit.
Vt pote testis
oculatus: e-
rat enim eo
tempore Ro-
ma Assi-
stens.

Quod ad secundum spectat, multæ, ad Regulam hanc confirmandam, & æquissimam censendam, adferri rationes possunt. Prima sit ipse rei huius, etiam in aliis Religionibus perantiquus vsus. In Franciscano siquidē Ordine idem prorsus quoad hoc seruatur, quod in Societate Iesu, vt nimirum superiori immediate errata aperiantur, non præmonito delinquente; vti videre est in libro, cui nomen est *serena conscientia*, quæstione CIV. Adhæc in statutis quibusdam generalibus, quæ Barcinonensia vocantur (eo quod in Capitulo quodam Generali Barcinone anno partæ salutis M. C. C. C. L. i. indicto decreta sint) dicitur, vt, quando fratres aliqui foras prodeunt, domū iam reuersi, superiorem certiosem reddant, si quid maioris momenti, & grauius in via sociis suis acciderit: qui vero id facere negligit, in pane & aqua ieiunare, nec non aliis pœnis, ex arbitrio præpositi iniungendis, castigari iubetur. Id ipsum & iam olim in antiquioribus Religionis statutis, in Capitulo quinto conceptis, decernitur. Denique in Capitulo quodam generali, cum S. Bonauentura generalis Ordinis totius esset Magister id vniuerso totius Capituli consensu & suffragio confirmatum & approbatum est; ac statutum, vt omnis in contrarium doctrina, velut pestilens, & totius disciplinæ Religiosæ destructrix, à Religionemimis quam procul proferberetur; qui autem docere eam præsumserit, libris exinde peteretur incumbere, suffragio adhæc tū actiuo, tum passiuo priuaretur, denique etiam in custodiam compingeretur.

Vt autem appareat, quam hæc doctrina sit antiqua, quamque semper ab iis, qui perfectioni incumberent, accepta fuerit, & approbata, ecce tibi præscum quoddam Stephani & Pauli Abbatum antiquorum decretum, quod ab Abbate Smaragdo citatur: in quo inter alia sic legitur: *Si quis alterum in quacumque parte viderit illicitum quid operari vel serper regul. monem facientem, & distulerit Priori pu-*

blicare, cognoscat se esse nutritorem & fautorem huius peccati, & per omnia æqualem participio est is, qui, cum ipsum auferre & impedire valet, minime impedit. Norit autem, inquit, quia & anima sua, & illius quem regit, est durissimus inimicus: etenim non amice, sed hostiliter erga eum se gerit. Adfert mox & aliud decretum, cuius hic est tenor: *Si quis autem alium, distractionem monasterii non ferentem, suagam meditari cognouerit, & non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tandiu à conuentu fratrum sequestrandus est, quamdiu ille valeat reuocari.* Adeo vt id, non iam nouū quid sit & nostræ Religionis proprium ac particulare, sed perantiquum, & aliis etiam Religionibus commune. Hic autem Religionum vsus in ipsiusmet, de correctione fraterna præcepti sine, ipsa inquam fratris mei correctione & emendatione, fundatur: Qui, vt plurimum superioris ipsius, non autem priuari alicuius opera & adminiculo consequendus speratur.

Secunda, per quam Regula hæc confirmatur, & non tantum rigorem, ac difficultatem, ac nonnulli sibi finxere, continere ostenditur ratio, est, quod aliud nihil illa nobis præcipiatur, nec etiam alius illius in Societate vsus sit, quam vt defectus fratrum Superiori aperiantur tamquam Patri spiritali, quatenus ipse, pro paterna sua caritate & amore, eos tollat, & qui lapsus est, vel lapsui iam proximus in pedes vegetus exurgat, & meliora respiciat. Vti id etiam Regula vigesima communium declaratur, quæ sic habet: *Qui grauem tentationem alicuius nouerit, superiorem admoheat, vt ei ipse pro paterna in suos cura ac prouidentia conueniendi remedio possit occurrere.*

Adeo vt culpa aliena superiori nõ manifestetur tamquam iudici; neq; etiã ita, vt propter eam in delinquentem animaduertat; sed tanquam patri, qui prodesse reo queat, non obesse, vt, quod oportuū

S. Bened.
dist. 23.

Ibid. c. 24.

Reg. 20. si-
munium.P. Francisc.
Suarez di-
sp. 34. de
penit. sect.
4. num. 22.
tom. 4.

& conueniens fuerit remedium & adhibeat, & quæ, nisi manifestaretur, & remedium adhiberetur, sequi possent incommoda anteuerat.

Tertia. Egregia quadam prægnanti- que id ratione confirmare solebat, R. P. Hieronymus Natalis, vir doctrina, æque ac virtute eximius. Moris, inquit, esse videmus in Ecclesia Dei, tam in regimine Ecclesiastico, quam politico ac civili, vt, antequam ad dignitatem aliquam quis assumatur, rerum etiam abditissimarum, pro diuersa muniorum accipiendorum qualitate, inquisitio instituat, hoc porro non tam eò fit, vt delinquens pœnis, quibusdam subiaceat, (& si alioquin quid castigatione dignum occurrat;) quam quoddam antè nosse velim, cui Ecclesiam, domum, familiam, rem domesticam, vel animam denique meam concedam. Iam in societate Iesu nemo est, qui non admissiones cooptari possit, (sunt eque namque instituto nostro propriae;) ad has autem virtus quædam solida, non elanguida, nec elumbis, quæ bonum Religionis nomen disperdat, & penitus destruat, requiritur. Potest ergo Superior, tum p se inquirere, tum per alios de rebus hisce secretis & abditis certior reddi, & ad hoc Regulam hanc vsurpare, quatenus tanti momenti negotio, quale hoc est, & cuius tantum cum tua, tum Religionis totius interest, certò procedat, & non decipiatur.

Quartò, vt, quam sit in ratione hæc Regula fundata, in vna bilancis lance damnum, quod tibi è defectu tuo, Superiori tanquam patri declarato sequitur; in altera verò damna & incommoda ex ipsius celatione enascentia ponamus: dein videamus vtra pars alteri præponderet. Damnum profectò tuum, non est, nisi modicum, quædam infamia, aut exiguum honoris, quod subire te putas, detrimentum: sed quod ex harum rerum occultatione damnum sequi solet & potest, est primò, quòd malum tuum maneat incuratum; quod, cum non tollitur nec præsecatur, semper increfcit, vltèrius serpit,

& demum alios inficit. Sequitur deinde hinc magna cum tua, tum Religiosi tui instituti infamia, probrum ac dedecus: *Quia nihil occultum, quod non tandem re- veletur, serius aut citius hac via, vel illa.* Et quod ante facillimo negotio, aqua lustrali, curari potuisset, si modò id initio Superiori (vti oportebat) dixisses; postea non nisi cauterio & ferro adhibito tolli poterit. Longè sanè id grauius est, quam modicus quidam pudor, & exigua honoris iactura, quam incurrere inde te arbitraris, quod Superior defectus alicujus tui reddatur conscius. Quocirca exerte tibi affirmo, dum quis erratum fratris præposito manifestat, adeò non cum in caritatem fraternam peccare, vt ipsum etiam instituti obligatione patefacere teneatur, & nisi patefaciat, vix à noxa eum immunem pronunciare audeam; & tam graui quidem, fieri vt possit, vt interdum ad mortalem ascendat; non quidem ex virtute Regule (Regule siquidem nostre, vt ante dictum est, ad peccatum non obligant) sed pter grauitatem materiæ, incommoda & damna, quæ hinc sequi & possunt & solent, (quorum causa est, qui cum præuenire & impedire illa, in tempore præmonendo potuit, minime impediuit, etsi alioquin ad id teneretur.

Vnde disertè & grauitè S. Basilius huc In Regul. nos exhortans ait: *Peccatum fratris tui occultare, & Superiori reterege nolle, nihil aliud est, quam agrum sua sponte ad mortem ruentem impellere, & procliuuorem reddere.* 46.

Nam peccatum opertum & dissimulatum adinstar est vlceris cuiusdam interioris, semper introrsum corruentis, donec ad vsque præcordia pertingat, & hominem enecet. Vnde, quemadmodum rem nobis grauissimam præstaret is, qui abscessum hunc nobis aperiret, & inclusam illam purulentiam, etsi cum aliquo nostro dolore, foras deriuaret; è contra, qui per speciem compassionis apostema incidere, & vitiosum illum humorem & putrescentem saniem ejicere nollet, hostiliter nobiscum ageret: pari modo, inquit Basilius, nò amici, sed inimici opus agit,

qui fratris sui erratum occultat, nec Superiori, & medico & patri, vt & medicinam faciat, & remedium applicet; ipsum patefacere vult: tantundem namque facit, ac si cum ad mortem sua sponte ruentem impelleret, eamq; quodammodo acceleraret.

Reg. 3. cap. 13. tom. 1. in fine.
 Grauitur & exerte, de re hac scribit Augustinus: *Nec nos indicetis esse malevolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cum timet secari, nonne crudeliter à te silenter, & misericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?*

Dissimulatio proinde hæc non est lex quædam charitatis: idè quippe nonnulli in alienis culpis indicandis dissimulant, ne in legem viroborum & cordatorum (vt quidem id ipsi nominant) peccent. Sunt enim, qui sibi honori ducunt, & bene facere se credunt, quòd alienas culpas Superiori non indicent, magnamque in patefaciendis illis difficultatem sentiant, quòd per hoc honori suo existimationiq; detrimentum quoddam inferre putant; palamque dicunt, nolle se dissensionum zizania spargere, vlli damnum inferre, aut quemquam apud Superiorem in simulando traducere. Non est ille profecto spiritus Religiosus, ne dum societatis Iesu, sed leges quædam mundanæ, malæ consuetudines, nec non amicitia & confidentia sæculares, Religionique, quam maximè detrimento sæ: non est hoc, schismata & diuisiones causare, non maleficio fratrem, sed beneficio singulari afficere, contrarium verò, tam illi, quam Religioni noxium esse. Quis porro ita erit à ratione alienus, & excors, vt religioni esse velit infidus, quòd alteri cuiquam gratificetur? vtri magis obnoxius es, huic ne privato an Religioni? Dissimulatore esse, & vt talem vulgò haberi, vt ignominiosum & honori suo detrimentosum quis ducere debet; non

autem, quod Religioni fidus sit, & serius Regularum suarum obseruator. Sic quoque rem hæc concludit S. Basilii: *Nemo sit ergo, inquit, qui peccato alterius latebris quærat; ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet. Nullas mali & infirmitatis fraternæ occultandæ rationes conquiras, sed eam medico, qui ei, antequam incurabilis fiat, & ignem & ferrum adhibere necesse sit, medicinam facere & mæderi debet, quanto cyus reuela. Et erit hoc veri in fratrem amoris, sinceræque caritatis indicium. Hac namque ratione fratrem tuum lucraberis, cui præsentem aliter faciendo, fortasse perniciem creabis.*

Hæc aliæque id genus rationes, quas tum Theologi, tum sancti Patres passim adferunt, satis sufficienterque probant, regulam hæc iustissimam esse & sanctissimam, etsi nullam sui quoad hoc, vt in aliis Religionibus fieri assoler, juris cessionem religiosus faciat. In societate tamen, alia quædam præter eas, quæ dictæ sūt, ad hoc nos impellere debet ratio, est autem hæc. Cum primùm, quis in eam admitti & cooptari postulat, ei Regulæ, & ipsum seruandarum Constitutionum summarium (in quo hæc Regula legitur inter alias) euoluenda traduntur, rogaturque, dum paratus sit eas seruare; quin imò circa hanc ipsam Regulam singillatim consensus ejus exquiratur, num vide licet in id, quod illa præscribitur, assensum dare velit. Quod ipsum & postea, singulis semestribus, in primo Nouitiatus biennio, antequam ad vororum nuncupationem admittatur, ab eo quæritur. Adhæc ipse Nouitiorum magister, in Regula sua iubetur, Nouitiis enucleatus declarare ea, circa quæ aliqua ipsis postea difficultas posset suboriri: inter quæ hoc ipsum, quo de agimus, speciatim nominatimque exprimitur. Ipse quidem Magister hæc ijs proponit, illi verò se ad hoc paratos spondent, tum ad magis in spiritu proficiendum, tum ad maiorem sui humilitationem & submissionem, vt in ipsa Regula significatur: quod est, alia & noua cir-

Vbi supra.

Regula 11. Magistri Nouitior.

Regula 9. Summar.

ua circumstantia, ad hoc ipsum magis facilitandum, mirificè faciens. Certum autem est hominem, cum in primis Religionem ingreditur posse ad majorem perfectionem comparandam, suo quoad hoc juri renunciare, ac plenam facultatem dare & permittere, ut omnes sui defectus Superiori immediatè, ita ut necesse se non sit antea præmoneri, manifestentur, vnusquisque enim sui honoris & famæ dominus est & dispensator; hinc, ad majus bonum suum, & spirituales profectum, potest eum apud Superiorem, & alium quemcunque voluerit prodigere, dummodo particularis aliqua circumstantia (qualem hic non subesse certum est) eum tueri & conseruare, & non prodigere suadeat. Sicuti licitè suum peccatum, quantumlibet graue & occultum Superiori retere & manifestare potest, ita potest & alteri ad ipsum manifestandum potestatem facere. Hanc porro quicumque Societatem ineunt, faciunt per eum ipsum, quem ab ijs exigi diximus, consensum, quoque paratos se dixere facere, quidquid hac Regula præscribitur. Quod re ipsa non est aliud, quam juri suo cedere. Perinde ac si ab aliquo, in confessione, vel aliàs sub sigillo secreti, graue quoddam scelus suum mihi aperiente peterem, an vellet, vel annuat, ut, quò melius sibi adhibeatur remedium, crimen hoc ejus cum Superiore meo, qui vir esset apprime doctus æquè ac prudens, cõmunicem; & ille haud abnuere se significaret; certum est, eum juri suo, quod habebat, ne cui crimen ejus aperiretur, hoc dicendo cassisse, me verò eadem opera, jus ad ipsum cum Superiore meo communicandum acquisisse. Huc accedit præterea, ordinaria Societatis quoad regulam hujus obseruationem praxis, quam biennio toto Tirones, antequam ad vota emittenda admittantur, vident: è qua notitia nimis, quam satis intelligere possent, juri se suo hac in parte tacitè & implicite renuntiasse, etsi nominatim & expressè ei se renuntiare non profiteantur. Sicut & Monachus Carthusianus natura-

li, quod ad vitæ conseruationem, carnem comedendo, habet, juri per ordinariam quoad hoc Religionis suæ proxim, cedere videtur: esto ia particulari & nominatim ei se renuntiare non dicat; cum tamen jus vitæ majus sit, & prægnantius quàm famæ conseruandæ. Ac sicut, qui Ordinibus sacris initiatur, implicite juri quod ad nuptias ineundas habebat, renuntiat, & solenni castitatis seruandæ voto obstrictus manet, licet in forma & conceptis verbis ejus votum non emittat. Vnde etiam in hunc modum R. P. Franciscus de Borgia, cum Generalem Societatis Præpositum ageret, ad quorundam congregationum prouincialium in Hispania celebratarum postulata respondit, rogantium videlicet, an, qui in Societatem recens cooptabantur suo quo ad hoc juri renuntiarent? Ipse porro Societatis lesu Præpositus Generalis, plenam ab Apostolica sede, quemadmodum de Bullis & Priuilegiis nostris liquet, Constitutionum nostrarum declarandarum facultatem accepit: Deniq; postquam hæc jam conscripsissemus, ipsum quod diximus, & in VI. Congregatione Generali absolute constitutum, & ut Nouitiis ipsis ita declararetur, mandatum. Atqui, ut tibi dem legere est, ipsa Generalis congregatio priuilegium à summo Pontifice accepit, ad ea, quæ in instituto suo dubia & obscuriora occurrunt, declaranda & euoluenda. Addit autem eo in loco congregatio, verba illa Regulæ (per quemvis qui extra confessionem eas accepit) de ijs intelligi rebus oportere, quas alius, quis notabit & aduertet: non autem de ijs, quas ipsimet cum alio quopiam in secreto, & consilium ab eo, quo dirigantur & adiuuentur petendo communicabunt.

Omnes ergo, quæ quoad suboriri possent, difficultates, & conquerendi murmurationumque occasiones, per hoc penitus subactæ & complanatæ manent. Nam scienti & volenti non fit injuria. Iam inde ab initio, cum primum in Societatem adscribereris, dictum tibi fuit, talem in ea Regulam & consuetudinem obserua-

Refert id R.
p. Egidius
Gonsaluius
serm. spirit.
15. super
hanc Reg.

Congregatio VI. Gen.
Societ. De-
er. 49. can.
10. & 11.

Decret. 35.
can. 6.

ri, & paratum te dixisti, ad collum tuum jugo huic subjiendum; itaque si postea graue tibi accidat, injuriamque tibi irrogari credas, quod delicta & errata tua, superiori declarentur, ipsam Regulam & fratrem tuum, qui eam seruat, ne culpes, nec tam de illo, quam de teipso conqueraris, cum plus virtutis & humilitatis proferte te oporteret modò, quam in principio, tamen præfers minus, quandoquidem eandem jam dispositionem non sentis, quam sentiebas tunc. In hoc videlicet totus difficultatis, quam in hujus Regulæ obseruatione nonnulli sentiunt, eardo versatur. Vnde etiam, quod ad eandem necessarium est, fundamentum B. P. N. signanter in ipsa expressit, humilitatem scilicet & ardens proficiendi in spiritu desiderium. Istuc si habebimus, gaudebimus, haud dubiè vnicuique culpas nostras notas esse, vt sic minoris fiamus, & magis vilipendamus; multo verò magis, vt ob eandem corripiamur & commonefiamus. Modicum sanè is humilitatis & virtutis habebit, qui ne ad hoc quidem eam habiturus est.

CAPVT VII.

Aliquot, quoad hanc materiam, permagni momenti monita præscribuntur.

EX hactenus dictis quædam colligere possumus monita: alia quidem vsui futura ei, qui corripitur, alia ipsimet monitori & corripienti. Primò itaque, monitus & correptus, ante omnia aduertat, oportet, per insignem sanè errorem esse, magneq; imperfectionis indicium, quòd cum à Superiore defectus alicujus, quis notatur & commonefit, indignè id ferat, moxque apud se, cogitando inquirat, equis ad Superiorem hunc derulerit, an non plus æquo dixerit, remque nimium quantum adauxerit, ac deinde de eo querulò apud alios expostulet, & modò apud hunc, modò apud alium dicitur, rem

non ita vt delata est, peractam, ne tam grauem reuera fuisse, quam Superiori significatam est. Grauius proinde crimina est, ac non tarò magis, quis alios hac importunius obrusa sui purgatione offundit & scandalizat, quam ipsomet factio. Scimus quippe omnes, esse te hominem, & defectibus obnoxium; at, dum quis hunc in modum frendet & ringitur, eum habemus, vt longè imperfectiorem: ostendit enim ad oculum valde se superbum esse, simul etiam alijs occasionem dat suspicandi, quod de sui emendatione & profectu ne hilum laboret, sed duntaxat sit de exteriori sui ostentatione, & opinione apud alios, & æstimatione sollicitus. Vnde benè D. Bern. *Qui proaciter etiam aperta defendit*, & fortasse etiam mendaciolo aliquo eadem subinde excusat, quomodo occultas & malas cogitationes cordi suo aduenientes humiliter revelaret Abbati? Verus humilis, qui seipsum cognoscit, & quod reuera est, haberi vult, non percellitur, quodecunque demum de ipso dicitur, nihilque ei hic nouum & inexpectato accidit: semper namque majores in se defectus agnoscit, & pauca de se dici putat, respectu eorum, quæ dici possent. Tuus tibi defectus videtur minor esse, quam reuera est, ac sæpè etiam ne defectus quidem appellandus, eò quòd eum oculis, ab amore proprio exæcatis, intueris; alteri verò suus, vt pote eum oculis omnis passionis expertibus intuenti multò apparet major, & talis, qualis in se reuera est. Demus vero, delatorem plus æquo rem propterea quod ita illi videretur, exaggerasse; an non meministi, te, cum Religiosum institutum amplectereris, interrogatum, paratusne fores, injurias pati, falsa testimonia excipere, & contumeliis atque infamia tam à domesticis quam ab externis affici, respondisse ad omnia te paratum esse? Quomodo ergo nunc ejus te promissi cepit obliuio? quomodo ejusdem ita jam pœnitet? Gaudendum tibi potius erat, quod alter recta intentione, & siue vlla sua culpa, plus dixerit, quam verè à parte rei suberat. Imò vero

*De gradib.
humilitatis,
grad. 3.*

Epist.